



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio I. Quid sit filium esse naturalem, & adoptivum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

Deus tam abundè prouidit seruis, negaret filio?

§. 42. Duo autem sunt dominia; vile priuatum, siue quod appellant *basium*; aliud etiam directum, sed altum; quod non est ad utilitatem priuatorum, sed ad bonum commune reipublicæ. Christus eo ipso quod fuit rex, habuit dominium altum rerum omnium; quibus posset uti in bonum commune regni, & sui, ut capitis totius orbis: si enim apud alios reges est hoc dominium, quidni & apud Christum? Dominium vile priuatum oblatum fuit Christo à Deo, illudq; Christus recusauit, ut vitam pauperem degeret, quo caruit sola sua voluntate.

§. 43. Obijcit P. Vasquez pro opposita sententia, quam sequitur disp. 87. cap. 6. non posse dominium esse penes duos pro indiuiso; ut probatum est disp. 12. Respondeo Primum, dominium priuatum vile componi cum alto principum in omni reipublica. Ob quod in occasionibus, in quibus princeps dominijs alti ratione potest uti ciuium bonis, non possunt ciues esse rationabiliter inuiti. Secundò respondeo, Christum posse communicare hominibus dominium, quin illud abdicaret: quia scientia beata aut infusa potuit cognoscere omnes rationes illud communicandi, quod postea non

posset reuocare propter inconstantiam: tunc autem semper esset in actuali usu sui dominijs, ut de Deo dixi disp. 12. sect. 2. Tertio, dominium Dei non opponitur puri hominis dominio: ut ostendi §. 18. Hæc de possibili: de facto Christus recusauit dominium vile priuatum.

§. 44. Obijciunt Secundo, Ioannem XXII. in extrauag. Inter nonnullos: & in extrauag. Quia quorundam. Vbi definijt Christum interdum habuisse dominium & proprietatem aliquarum rerum. Respondeo Primum, Ioannem locutum de dominio priuato utili. Secundo, posse Ioannem exponi de dominio in externa specie, qua Christus occultabat diuinitatem: sic titulo externo possedit interdum aliqua, non quod reipsa ratione diuinitatis uitæ non fuerit dominus; sed quod se gessit externe, ac si non esset aliquando verò aliqua habuit titulo externo, vel hereditario, aut donationis: quod ipse ita voluit, ne accusaretur furti, cum videretur rebus alienis uti absque dominorum facultate. Hunc titulum externum habuit interdum eandem ob causam, cum non deberet tributum, illud soluit vitandi scandali gratia. De paupertate Christi dicam disp. 104. sect. 8.

DISPUTATIO LXXXII.

De adoptione filiorum Dei.

S. Thom. quæst. 23.

SECTIO I. Quid sit filium esse naturalem, & adoptiuum?

SECTIO II. Vtrum Deus habeat filios adoptiuos?

§. 1. **F**ILIVS naturalis & adoptiuus dicuntur frequenter. Iesus Christus ut Deus est filius Dei; ut homo item. Iusti dicuntur etiam filij Dei: quod exaggerat B. Ioannes; *Ut filij Dei nominemur, & simus.* Mali similiter dicuntur filij diaboli: *Vos ex patre diabolo estis.* Idem Ioannes id repetit non semel. Disquirenda quæ ratione filiorum cuique sit.

SECTIO I.

Quid sit filium esse naturalem, & adoptiuum?

§. 2. **A**bstineo ab ea quæstione, vtrum de ratione filij ut sic sit, originem trahere viuentis à viuente à principio coniuncto in similitudinem naturæ? id enim disquiram disp. 83. sect. 5. Nunc admitto filium esse, qui ita oritur, aut habet intrinsecè unitam filiationem naturalem.

§. 3. Filius naturalis est, qui natiuitate & constitutione sua naturali est filius; item qui absolute, verè, & propriè sine metaphora est filius; qui ad rationem filij non eget noua gratia patris, cui competit definitio filij. Adoptiuus autem filius est, qui constitutione & natiuitate non est filius: qui absolute, verè & propriè non est filius, sed metaphoricè: qui ad rationem filij eget noua gratia, cui non competit definitio filij.

§. 4. Totam hanc doctrinam verbum pro verò Petr. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

bo docuit Adrianus primus in epistola ad Episcopos Gallicia: liber sacrosyllabus, & totum Concilium Francfordiense contra Felicem & Elipandum vol. 3. Concil. Adrianus sub initium epistolæ ait: *Nomen paternum tunc manifestauit hominibus, cum se Patri filium verum, & non putatiuum; proprium innouit, & non adoptiuum. & infra: Qui cum adoptiuum, & non proprium filium constituentur: quasi alienus aliquando à Patre fuerit, aut per carnis extraneus ab eo factus fuerit assumptionem. & infra: Distinctè enim dixit meum, & vestrum, eius videlicet non per gratiam, sed per naturam; noster verò per gratiam adoptionis.*

§. 5. Sacrosyllabus post initium: *Iesum Christum (inquit) adoptiuum Dei filium de Virgine natum. Quod diuinis nequeunt approbare documentis. Hac igitur dicentes, aut in viro Virginis eum suspicantur adoptatum: quod dici nefas est: quia de B. Virgine inenarrabiliter sumpsit, non adoptauit carnem. Vbi considera adoptiuum filium non habere carnem ex adoptante parente; naturalem verò eam habere ex vera matre. Inferius ait: *Habes igitur quomodo, de quo supra dixerat: Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei; non adoptiuus, sed verus; non alienus, sed proprius.**

ccc Ecce

s. Thom.
9. 23.

Ecce verus, & adoptiuus opponuntur: item proprius, & alienus.

§. 6. Ait autem inferius: porro adoptiuus dici non potest nisi is, qui alienus est ab eo à quo dicitur adoptatus, & gratis ei adoptio tribuitur, quantum non ex debito, sed ex indulgentia tantummodo adoptio præstat. & infra: Proprius filius factus est ex muliere; non adoptiuus. apertius idem repetit inferius: Adoptiuus verd dicitur, cui nihil à patre adoptante debetur, sed gratis indulgendo conceditur. Abusuè namque, & non essentialiter adoptiuus est filius dictus; sicut Moyses in filium adoptatus est filia Pharaonis, alienus ab ea & generatione, & affinitate. Hoc ideo posuimus, vt patenter daretur intelligi, eum dici adoptatum, qui nondum fuerat proprius filius adoptantis.

§. 7. Paulò post ait: Adoptiuus enim non nisi affectione locutionis, alienus dicitur filius: omnis enim adoptio ex affectione ducit vocabuli sui originem, quamquam etymologia sua non videatur trahere similitudinis sonum. Habet namque ex vtraque parte vtram aduerbium eleganter insitum; vt si dicas, vtram sis mihi in filium adoptiuum: & è contrà, vtram merceat à te in filium adoptari: ex affectu quidè dilectionis pars subrepti parti; vt in vtraque conueniat dilectionis affectus. His Concilium eleganter explanat formalem conceptum filij adoptiuui: qui affectu filius est, non effectù.

§. 8. Deinde Concilium ad Præsules Hispaniæ ad initium refert hæreticorum errorem, eum que confutat ijs verbis: Item post pauca in eodem loco legatur: Confitemur, & credimus eum factum ex muliere, factum sub lege, non genere esse filium Dei, sed adoptione, non natura, sed gratia. Ecce serpens, &c. conuenit itaque inter Catholicos & hæreticos filium naturalem esse, qui genere & natura filius est; adoptiuum autem gratia. Infra autem ait: Et si verus Dei, etiam & verus filius: & si verus filius, nequaquam adoptiuus; qui adoptiuus, sicut in testimonio B. Hilarij positum est, non verè natura & filius. Longè autem post ait: Quid est adoptio nisi charitatis copulatio; qua pater sibi adoptione copulat filium, quem proprium non habet & certissimum est, alium esse proprium filium, alium adoptiuum.

§. 9. Hæc dixi tam fusè: tum quia nullus Philosophus, aut Iuris consultus meliùs definit adoptiuum naturalemque filium: tum quia disput. sequi probandum est deduci clarissimè, Christum vt hominum non posse catholicè dici filium adoptiuum Dei: quia sequitur ex adoptione dualitas personarum hæretica: est ergo filius adoptiuus, qui verè non est filius, eligitur autem loco filij. Hinc Mardocheus Esther, quæ erat filia non sua, sed fratris, adoptauit in filiam. Metaphora autem sumitur ex amore: vt enim pater diligit filium, quem alit, erudit, & instituit heredem: ita adoptio hæc omnia præstat. Filius item dicitur imitatione: ita mali sunt filij diaboli; & Christus nobis præcepit benefacere inimicis, vt sumus filij Patris nostri, id est, Patrem imitemur.

§. 10. Hæc omnia possunt exponi ex veteri consuetudine. Aliquando adoptatur in filium, qui adhuc est in ætate pupillari. Hæc adoptio fiebat coram magistratu: & erat cautum lege ciuili, nequis adoptaret aliquem, si esset compos suscipiendi liberos: at non fuit lex generalis: valebat enim apud plures adoptio, vt valuit Clodij, qui ob eam creatur est tribunus plebis. hæc vocabatur adoptio. Quando verò adoptabatur quis extra pupillarem ætatem, erat sine magistratu, & appellabatur arro-

gatio. Cicero Clodium irrisit, quòd ad inuendum plebis tribunatum iam senator adoptatus est à iuvene plebeio.

SECTIO II.

Virum Deus habeat filios adoptiuos?

§. 11. Pars affirmatiua est de fide. ad Rom. 8. v. 15. Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (pater.) & ver. 16. Quid sumus filij Dei: si autem filij, & heredes, &c. Ad Galatas 4. v. 5. Vt adoptionem filiorum reciperemus: quoniam autem estis filij: ergo, &c. Ad Ephesios 1. v. 5. In adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum. Est definitum in Concilio Tridentino sess. 6. vbi ait iustus proponendam esse vitam æternam, & tanquam hereditatem filijs, & tanquam mercedem bene operantibus.

§. 12. Dices, negari non posse adoptionem filiorum Dei; illam tamen non esse propriam adoptionem, sed metaphoricam: quia adoptio propria est quidam contractus ciuili, cuius nomen per tropum translatum est ad diuinam: nam filius adoptiuus est heres non superstiti patre, sed vita functo; iusti autem hereditatem accipiunt viuente patre. Secundò, quia filius adoptiuus fit à patre impotente generare filium naturalem. Tertio, quia adoptio propria est ad personam extraneam; creatura autem rationalis non est extranea à Deo, à quo accepit esse. Quarto, quia adoptio fit per solam extrinsecam acceptationem; at verò iusti immutantur physicè per gratiam.

§. 13. Hæc non videntur: non Primum, quia alioquin nec Christus in quantum homo, esset filius Dei: quia Patre viuente potitur illius bonis: potest igitur homo viuens hereditatem actu conferre in filium: vt patet in parabola filij prodigi. Quòd si non posset, esset, quia ipse indigeret suis bonis: Deus autem potest viuens filio communicare sua bona, quæ præcipuè consistunt in visione beata, absque sui incommodo. Ad secundum, negatur antecedens vt ex §. 10. Ad tertium, respondetur omnem creaturam rationalem non vnitam hypostaticè Deo, esse extraneam Deo; non quidem incognitam, & ab alio productam extra ipsum, sed habentem esse non vnitam physicè Deo: quod est esse extra ipsum. item æterna beatitudo est extranea creaturæ rationali secundum se consideratæ: quia ad illam nec habet ius, nec potentiam; secus, si eleuetur à Deo: quando autem visio existit, est intrinseca creaturæ. Ad quartum, discrimen est clarum: quia adoptio est per complacentiam in adoptiuum: vnus autem homo sufficiens obiectum est complacentiæ alterius, ex qua oritur communicatio bonorum: at verò Deus, nisi homo sit gratus, non videt in illo obiectum complacentiæ, ex qua oriatur voluntas illum beandi. quamobrem necessaria est gratia, per quam reddatur dignus amore supernaturali, & acceptatione ad gloriam.

§. 14. Nos verè esse filios adoptiuos, patet: quia cum sæpè adoptiuui nominemur in Scriptura, numquam tamen restringitur adoptio ad improprietatem. Confirmatur ex epist. 1. Ioan. c. 3. v. 1. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus: vbi nominari & esse significat veram & propriam filiationem adoptiuam: nam si tantum